



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Talio, Sev Metiens Et Remetiens Mensvra

Stengel, Georg

Ingolstadij, 1650

§. 2. Iniuriarum patientia in heroico exemplo tradita.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52346](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52346)

ridianæ anteferet? aut muscam monte, guttam aquæ Oceano maiorem esse iudicaret? Hoc ne faciant à Deo meliora docti, non modò contenti sunt, si defituros honores non adipiscantur, aut amittant; verùm etiam spe maioris gloriæ in cælo adeundæ gaudent: neq; de vindicta cogitant eorum, à quibus ignominia iniuriaque afficiuntur; sed insuper eos ponunt in numero benefactorum.

§. II.

Iniuriarum patientia in heroico exemplo tradita.

Dicebat Abbas Ioannes quibusdam fratribus: Quia fuerunt tres philosophi amici, quorū unus moriens alteri reliquit filium suum commendatum; qui in etate iuuenili prouectus, nutritoris sui adulteravit uxorem. Quo scelere cognito missus est foras. Deinde cū plurimūm pœniteret, non ei concessit regressum sed ait illi: Vade, & esto tribus annis inter damnatos, qui metalla in flumine deponunt, & sic indulgeo tibi culpam tuam. Quo post triennium redenuit rursus ait: Vade alios tres annos da mercedes, ut iniurias patiaris. Ille verò fecit sic alios tres annos. Qui dixit ei: Veni ergo nunc ad civitatē Atheniensem, ut philosophiam discas. Erat au-

Heriberg.
Rosveid:
l. 6. de
Vit. PP.
libell. 4.
n. 12.

4 Cap. I. Iniurias non manere inultas,

sem ad portam ciuitatis quidam senex philosophus sedens, atque intrantes contumelijs afficiebat, iniuriauit ergo & iuuenem illum. At ille iniuriatus risit. Cui senior ait: Quid est hoc, quod tibi ego iniurias facio, & tu rides? Dicit ei iuuenis: Non vis ut rideam, qui tribus annis, ut iniurias paterer, dedi mercedes, & hodie gratis eas patior. Prorsus ob hoc ego risi. Dixitq; ei senex: Ascende & ingredere ciuitatem. Cumq; hoc retulisset Abbas Ioannes, dixit: Hec porta Domini, & patres nostri per multas iniurias in eam gratulantes ingressi sunt. Multis hoc videtur paradoxum, & inter ea, quæ fieri non possunt, cum tamen sit vnum in-

Matth. 5. ter ea quæ fieri debent. Audistis quia dictum est: Diliges proximum tuum, & odio habebis inimicum tuum. Ego autem dico vobis: Diligite inimicos vestros, bene facite his, qui oderunt vos: & orate pro persequentibus, & calumniantibus vos: ut sitis filij Patris vestri, qui in calis est: qui solem suum oriri facit super bonos & malos: & pluit super iustos & iniustos. Si enim diligitis eos, qui vos diligunt, quam mercedem habebitis? nonne & publicani hoc faciunt? Et si salutaueritis fratres vestros tantum, quid amplius facitis? nonne & Ethnici hoc faciunt? Estote ergo vos perfecti, sicut & Pater vester celestis perfectus est.

§. III.